

## De itinere in terram sanctam

Aliquot ante annos cum David et ego investigationes de rebus geometricis suscepissemus cum collega hebraeo quodam, ille nos ad universitatem suam invitavit. Sed quando umquam post hominum memoriam iter in terram sanctam facile perfectum est?

Sero in aeriportum advenimus postquam duae raedae in via ad aeriportum collisae sunt, per plus unam horam in oppilatione raedarum capti sumus, non procul ab aeriportu. Impatienter exspectavimus dum obstructio viae auferretur. Cum denique currentes in aeriportum advēnimus, januae aeroplani iam erant clausae: a magistratu aeriportus eum nos ad volatum admissurum fuisse si quinque momentis temporis antea ad aeriportum advenissemus comperimus.

Inita subductaque ratione Genavam petere constituimus, unde die proximo mane volatus in Israelem esset profecturus. Media nocte Genavam advenimus; per aliquot horas in deversorio dormivimus quoad hora quarta experrecti sumus: somnolenti et esurientes aeriportum petivimus, frustra sperantes fore ut ibi ientaculum comedere possemus. Sed scilicet hac hora omnes tabernae clausae sunt; ne potio arabica quidem inveniri potuit. Cum post duas horas viatores ad aeroplanum admissi sunt, statim artus somnus me complexus est.

Somno soluta, aeroplanum in aeriportu quodam consistere animadverti; gaudens Davidem rogavi num iam in terram sanctam advenissemus. Pro dolor nondum reliqueramus Genavam, cum motorium aeroplani detrimentum cepisset. Illā difficultate post unam horam solutā, nova difficultas est orta: gubernator illius volatus ex aeroplano egressus nusquam inveniri potuit. Post unam horam gubernatorem denique advenisse comperimus; sed, cum iam multis horis operam dedisset, ei aeroplanum nostrum gubernare non iam licebat. Spe decepti nos iterum petivimus aeriportum; desperans mecum quaesivi num aliquo modo iram Dei excitavissem, cum iterum atque iterum iter nostrum impediretur.

Inter alios viatores multi Iudaei pii numerabantur, qui etiam ob illam moram volatus non sunt gavisi: subirati vehementer poposcerunt ut aeroplanum mox aveheretur, ne lex divina diei Sabbatorum violaretur. Fortasse magistratus aeriportus iram divinam timuerunt: paulo post aeroplanum nostrum ad volatum paratum esse comperimus, et vespere denique sine alia mora in terram sanctam advenimus.